



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Originvm Monasticarvm Libri IV.

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1620

Cap. XIX. Ordo seruorum B. Mariæ in Gallia anno 1257. institutus, & abrogatus in Synodo Lugdunensi, sub Gregorio X.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11249

CAPVT XIX.

*Ordo Seruorum B. Mariae, in Gallia anno
1257. institutus, & abrogatus in
Synodo Lugdunensi, sub
Gregorio X.*

ORDO Seruorū B. Mariæ, in diœcesi Masiliensi institutus, & sub regula S. Augustini anno 1257. est confirmatus per Benedictum Episcopum Masiliensem, mandante Alexandro IV. Papa. Fuit is Ordo alius ab eo, quem in Etruria Italiæ prouincia per B. Bonfilium, & alios sex ciues Florentinos excitatum, supra cap. 16. diximus. Nam Seruitæ Itali vestem nigram iam inde ab initio ordinis gestant: Seruitæ verò Galli vestem seu chlamydem albam olim gestare solent. Hinc Monasterium Guilielmitarum Parisiensium, quod olim fuit ordinis Gallicani Seruitarum (vt infra docebimus) hodieque *Alborum Mantellorum* nomen retinet.

Vt autem constet omnibus, vbi & quando Seruitæ Gallicani originem sumpserint, habe istud Clementis IV. diploma:

*Clemens Episcopus, seruus seruorum Dei, dilectis filijs Priori, & fratribus B. Mariae de Areno, seruis B. Mariae matris Christi vulgariter appellatis, ordinis S. Augustini, Masiliensis diœcesis, salutem & Apostolicam benedictionem. Cum à nobis
petitur;*

petitur, quod iustum est & honestum, tam vigor aequitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectū. Sanè petitio vestra nobis exhibita continebat, quòd cum felicis recordationis Alexander Papa prædecessor noster dudum venerabili fratri nostro Massiliensi Episcopo suis dedisset litteris in mandatis, ut vobis, qui eratis nouella plantatio, nec tunc astricti obseruantia alicui regulari, auctoritate ipsius prædecessoris concederet aliquem de ordinibus approbatis, idē Episcopus ordinē B. Augustini cōcessit vobis, prout in litteris inde confectis, sigillatis sigillo ipsius Episcopi, plenius continetur. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, quod à Prædicto Episcopo super hoc prouidē factū est, ratū & firmū habentes, id ad instar eiusdem prædecessoris nostri, auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio cōmunimus, tenorem litterarum ipsarum ipsius Episcopi de verbo ad verbū præsentibus inseri facientes, qui talis est:

Vniuersis, ad quos præsentēs litteræ peruenierint, Benedictus Dei gratia Massiliensis Episcopus salutem in Domino Iesu Christo. Literas Domini Papa recepimus sub hac forma:

Alexander Episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Episcopo Massiliensi salutem, & Apostolicam benedictionem. Pijis propositis, & honestis desiderijs, & his præcipue, per quæ salus & profectus prouenit animarum, annuere Sedis Apostolica benignitas tantò libentius consuevit, quanto ipsarū lucrū est omni thesauro fructuosius & pretiosius re
qua-

quacumq³. Cum igitur dilecti filij Prior & fratres B. Mariae de Areno, Massiliensis diocesis, qui vulgariter nuncupantur Serui Sanctae Mariae Matris Christi, sicut nobis significare curarunt, huius mundi vanitatibus, pompa & gloria derelictis, sub iugo regularis obedientiae suo desiderant obsequi Creatori: nos ipsorum huiusmodi propositum, & desiderium multipliciter commendantes, ac annuentes, fauorabiliter ipsorum precibus pietate non vacuis, & continentibus honestatem, fraternitati tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus dictis Priori & fratribus auctoritate nostra concedas vnā de regulis approbatis, vt sub ipsius obseruantia perpetuis temporibus dignum praestent obsequium, suorum vitulos offerant labiorum, & acceptabile impendant sacrificium Deo Patri. Datum Viterbij VI. Kal. Octobris, Pontificatus nostri anno tertio.

Huius igitur auctoritate mandati, ad honorem Dei omnipotentis, & gloriosae Virginis Mariae matris Christi, Priori, & fratribus B. Mariae de Areno, Massiliensis diocesis, qui vulgariter nuncupantur Serui sanctae Mariae matris Christi, auctoritate Apostolica concedimus regulam B. Augustini, vt sub ipsius obseruantia perpetuis temporibus dignū praestent obsequiū Deo Patri. In cuius rei memoriā praesentem paginam sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum pridie Nonas Ianuarij, anno Domini millesimo ducetesimo quinquagesimo septimo. Nullo ergo omnino hominum liceat hanc paginā confirmationis infringere, vel ei ausu temerario cōtrahere.

Si

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Datum Viterbÿ III. Idus Maij, Pontificatus nostri anno secundo.

Hoc diploma Clementis I V. cū alijs adiūtis, primus publicavit Sampson Haius lib. de veritate vitæ, & ordinis S. Guilielmi, Parisijs anno 1588. edito.

Ceterum huius ordinis Seruitæ olim Parisijs monasterium habuerunt anno 1258. ædificatum: quod postea, Ordine isto, in Synodo Lugdunensi sub Gregorio X. Papa abrogato, traditum est Guilielmitis, anno 1297. a Bonifacio VIII. & Philippo Pulchro Rege, atque id etiamnum possident.

CAPVT XX.

Ordo Eremitarum S. Pauli.

PAVLVS Eremitarum auctor, & magister, apud inferiorem Thebaidem natus, cū quindecim esset annorum, orbatus parentibus est: qui postea declinandæ causæ persecutionis Decij & Valeriani, & Deo liberius inseruiendi, in eremi speluncam se contulit: vbi palma ei victum & vestitum præbente, vixit ad centesimum & decimum tertium annum; quo tempore ab Antonio nonagenario, Dei admonitu, inuisitur. Quibus inter se,
cū